

abolita crimina mortuorum. Docent alii, Abrahamum ante Inferorum fores excubantem, omnes admittere incircumcisos, excludere verd animas gentilium suorum; nec excludere tantum, sed & ad Caelum mittere: Circumcisione etenim illud praefatur, ut & Paradisi recludantur fores, & Deo gratia animae efficiantur.

Ante S. Augustinum, Patres nihil de Circumcisione praclarum senserant; quippe qui ejus omnes effectus ed ferme redegerint, ut signum illud datum crederent, quo electis in foedus Domini populus a ceteris per Orbem gentibus distingueretur. Melius de illa S. Augustinus, caeterique ejus doctrinam secuti Patres Latini & Theologi defenderunt, originale crimen Circumcisione remitti, eaque simul in justitiam revocari. Hisce autem rationibus sententiam hanc suam fulciunt.

Rom. 4. 11.

S. Paulus de Abrahamo Patriarcha statuit (*): Et signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiae Fidei, qua est in praeputio: signaculum nempe justitiae, per Fidem adhuc incircumciso collata. Circumcisionem igitur admittit, tanquam signum sancti cum Deo foederis: Ut sit signum foederis inter me & inter vos (b). Ea verd Circumcisio insignis, habebatur justitiae Abrahami; non quasi justitiam externus ille ritus contulisset, sed exceptam jam fidei merito, externo veluti indicio prodebat. Quare unicam justitiae hujus inomentum non in Circumcisione reponendum erat; sed in virtute Fidei Mediatoris, quam Circumcisione Judaei profitebantur (c). Eadem Fides Mediatoris Christi saltem faciebat justos omnes tam pusillos quam magnos. Alterum Sententiae suae argumentum deducit S. Augustinus ex ipsis instituta Circumcisionis Sacri Textus Gen. 17. 14. verbis;

b Gen. 17.

Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit octava die, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Absunt verba illa octava die in Codicibus Hebraicis; leguntur tamen in Samaritano, & Septuaginta; atque apud Judaeos, recens natos infantes octava die circumcidi, juxta illud Gen. 17. 12. Infans octidierum circumcidetur in vobis, neminem latere arbitror.

c Aug. de Nuptiis & Concup. l. 2. c. 11.

Quomodo autem recens natus Infans, Circumcisione intra dies octo non initiatus exterminandus esset de populo, cum cognitione destitutus, nec peccaverit, nec peccare unquam potuerit, si maxime voluisset (d)? Nisi quia etiam parvuli non secundum suam vitam proprietatem, sed secundum communem generis humani originem omnes in illo uno testamento Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt. Alibi verd idem Augustinus observat (e). Ilaec octo dierum infantem Circumcisione initiatum; eo pariter Sacramento veluti signaculum justitiae Fidei, tom primum sibi communicatae, recepisse; quae justitiae semina magis deinde magisque fovit, tot praeclearis fidei suae exhibitis specimenibus, quot edere Abrahami filium par erat. Et l. 2. contra Epistolam Petili. cap. 72. Populus Dei, ait; Circumcisionem pro Baptismo habebat. Addit

f August. contra Julian. PeLAGIAN. l. 6. c.

(f) Cum parvulus proprium nullum omnino habeat peccatum, restat ut nullum eidem aliud auferatur, nisi originale, illo remedio sine quo perit anima ejus de populo suo: quod sub iusto Deo non fieret, nisi esset culpa, qua fieret. Eadem sapienter in suis Operibus inculcat.

Nec minus luculenter consonat Augustino Gregorius Moral. in Job lib. 4. cap. 3. Distinguit ille tres obtinenda ante adventum Jesu Christi justitiae status; justitiae nempe, quae in Ecclesia Christi Baptismo confertur. Primum, Fidei parentum merito originale crimen infantibus remittebatur. Secundum, adultis expiationi erant sacrificia ab ipsis pro se oblata. Tertium, Judaeis de genere Abrahami salutem Circumcisionis mysterium: Quod apud nos valet gratia Baptismatis, hoc egit apud Veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro iis, qui ex Abrahami stirpe prodierunt, mysterium Circumcisionis. Probant, & sequuntur eandem doctrinam cum Venerabili Beda in Luc. 2. S. Bernardo, S. Fulgentio, S. Prospero frequentem numero Theologi (g).

Observant illi tamen in multis, Circumcisionem a Baptismo discrepasse, 1. Baptismus excellentiae suae merito, quem scilicet passioni Domini accepto refert, justificationis gratiam confert; contra Circumcisio gratiam justificationis largitur, non virtutis suae privilegio, sed fidei in Passionem Jesu Christi (h), cujus erat & typus, & signum; quicumque enim Circumcisionem in se admitteret, una simul eo externo ritu profitebatur credere se in futurum Messiam, & in eum pariter implicitam saltem fidei professionem emittebat: suam pariter edebat, & pro se & pro infante, qui infantem ipsum offerebat initiandum. 2. Baptismus Characterem quandam spiritualem, & indelebilem in anima imprimit; Circumcisio tantum corpus obli-gnat, atque insigne est foederis, ad quod initiatus admittitur de genuinis Abrahami filius unus habebatur. 3. Pleniori gratia dicitur Baptismus, quam Circumcisio; haec enim Sacramentis novae Legis praeter Veteris est praerogativa, ut facilius, efficacius, & largius effectus suos conferant (i). Quare cum S. Augustinus non semel [k] Circumcisionem loco Baptismi datam fuisse Hebraeis asserit, de effectu potissimo, atque principali Baptismatis intelligendus est; nempe de remissione originalis criminis, non de varia dimittendi ratione.

Plura tamen in hanc sententiam, instituta nempe Circumcisionis in remissionem originalis criminis, obijciuntur: Textus Scripturae, quos illi fulcienda adducit S. Augustinus alterum plane sensum obtinent apud Veteres Patres; nec sane distendum, ambiguus esse, nec singulari sensui servire. S. Augustinus autumat illud Scripturae; Exterminabitur de populo suo, de poena Inferni exponendum; sicut & foedus illud his verbis insinuat: Pactum meum irritum fecit, sanctum a Deo cum primoribus humani generis parentibus, pactum exprimit, cujus nos pacti in Adamo pre-

7. p. 673. Vide eundem de peccato Originali contra Pelag. & Calesi, c. 30.

g Vide Perer. in Genes. 17. & in Rom. 4. Disput. 6. Baptismus, & Cornel. in Genes. 17. Vide Innocent. III. capite Majoris. Et Prof. per. ad Demetriam. Fulgent. l. de Incarnat. c. 13. Bernard. sermone in Convivio Domini, Hierod. Rupert. Hugon. de S. Vid. Petr. Lombard. in 4. Sent. dist. 1. & Scholasticos passim. h D. Thomas 3. part. qu. 70. art. 4. In Circumcisione conferretur gratia non ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute Fidei passionis Christi; cujus signum erat Circumcisio. i August. l. 19. contra Faust. c. 13. Sacramenta (nova Legis) instituta sunt virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Vide & Epistolam olim 118. nunc 54. c. 1. Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis societatem novae populi collegavit.

k August. Epistolam olim 57. nunc 187. c. 11. & sermone 151. n. 12. c. 5. nov. Edit. &c.

varicationis rei damnatur. Plures tamen doctissimi Interpretes defendunt, exterminari de populo suo perinde esse, atque capitis poena, seu violentia & praecipiti morte damnari (l); vel etiam de reliquo Israelitici populi coetu interdici, omnibus multari gratis & privilegiis, quibus recepti in foedus Dei cum Abraham populi donantur.

l Ita Jacob. Abenezra & Rab. alii.

Sed quisnam de coetu populi exterminandus? an infans, an alius ad quem infantis cura pertineret? Sunt qui nihil in infante cautum arbitrentur; neque enim in infans situm esse facultate poterat, sive ut hanc Circumcisionis legem cognosceret, sive cognitam in se executioni mandaret. Quando vero lex illa ad infantem spectare defenderetur, esse contendunt ejus distractionis rigorem tandiu suspendendum, quandiu puer ipse intelligendi atque volendi capax, submittere se Legi sive negligisset sive contempnisset (m). Malunt alii (n), vindicem illum Legis rigorem in eorum tantum caput detorqueri, quibus sive a Lege, sive a consuetudine onus impositum esset curandi, ut infans sacramento illo initiaretur, uti parentum, & horum defectu, sanguinis conjunctione magis ad puerum accedentium. Nemo unus ante S. Augustinum exterminium illud de poena Inferni usurpavit, sicut neque exterminii poena infantem intra octo dies Circumcisione non initiatum subegit. Semper omnino atate Judaei permittit sibi arbitrabantur, ut caeremoniam illam sive valetudinis tuenda gratiam, sive officii, ultra octo illos dies differrent. Nullo vero argumenta probatur, Hebraeos sive veteres, sive recentiores virtutem remittendi criminis originalis Circumcisioni tribuisse. Illud octava die, quod in Textu legit S. Augustinus, neque in Hebraeo, neque in Vulgata apparet; ex quo patet totum Augustini argumentum evanesce.

m Vide Lyr. & Carth. ad Genes. 17. & alios plures. n Perer. in Senes. 17. q. 6. Lyr. Carth. alii, ut Diod. Tarfens. Praecept. in Gen.

o Genes. 17. 4. 5. 6. .. 10. 11. 12. 13. 14. &c.

Adde, voces illas Textus, Quia pactum meum irritum fecit, a S. Augustino quidem de pacto Domini cum Adamo, cum primum in mundum veniret, expositas, de foedere Dei cum Abrahamo pronum & obvio sensu reddi potuisse. Perinde enim accipienda sunt verba illa, quasi Deus ea se die inire cum Judaeis foedus protestaretur, fidem suam obligans opem se illis praestitutum, immisurumque in hereditatem Chanaanitidis, ea conditione, si mare omnes sacro Circumcisionis mysterio initiarent; quare Circumcisionem veluti pignus, & sigillum ejusdem foederis proponebat; ut quicumque Sacramentum illud negligisset, ille de coetu populi segregatus, & a spe promissionum exclusus, veluti pacti foederis transgressor haberetur. Veram hanc, & genuinam sententiam hujus expositionem esse, sola Textus lectio abunde intelligimus [o].

Apertissime tandem constat, sententiam illam, quemadmodum in Hebraeo & Vulgata praefertur, Cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur, (sive abscindetur) anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit, non infantes,

sed adultos, Sacramento illo initiari vel initiandos liberos suos tradere negligentes, ultioni submittere. Quod enim octidierum infans tanta poena afficiatur, ut de coetu populi sui rejectus sit, tanquam pacti foederis violator, nihil est. Ita quidem satis appositè philosophatus Cardinalis Bellarminus, intentum plane convincit (p).

p Vide Bellarm. lib. 2. de Sacrament. in Genere c. 17. q. Rom. 4. 11.

Alter S. Pauli locus, (q) cujus occasione nos argumentum istud tractandum suscepimus; Abraham signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiae fidei, qua est in praeputio; ut sit pater omnium credentium per praeputium, ut reputetur & illis ad justitiam; iste inquam, locus nihil minus, quam Circumcisione crimen originale remitti, demonstrat. 1. Sermo est ibidem de Circumcisione Abrahami, cui remittendi originalis criminis virtutem, nisi mendacii Apostolus arguatur, nemo vindicaret. Apostolo enim locupletissimo teste, ante receptam Circumcisionem Abraham a crimine absolutus est, cujus remissionis veluti signaculum in Circumcisione praetulit. 2. Quando vero ad alios Judaeos accommodatione quadam extenderetur, non inde tamen probaretur continud, Circumcisione & gratiam justitiae in illis produci, & Originale crimen remitti. Nihil enim tale sive Apostolus exprimit, sive in ejus verbis latere doctissimi Interpretes animadvertunt. Origenes in Rom. 4. 11. persuasum habet, Circumcisionem veluti sigillo quodam clausam regi justitiam Fidei, mox remoto sigillo sub Messia promendam. Theophylactus philosophatur, eo plane modo, quo sigillum acibus & instrumentis auctoritatem asserit, ita Circumcisionem in Abrahami corpore impressam, veluti sigillum assertam ostendere coram omnibus ejusdem Patriarchae justitiam: quo indicio Deus aperuit, quantum sibi in eo viro placeret. Chrysostronus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius super hunc locum scribentes, non obscure docent, Circumcisionem veluti signo quodam receptae jam per fidem justitiae Abrahamum donatum fuisse. Nec aliter sentiunt Patres Latini ante S. Augustini aetatem; sicut & gemina tradunt Graeci pariter & Latini, ita de Circumcisione philosophati, quasi de insigni quodam distinguendis Judaeis a ceteris gentibus, atque futurae mox sacramenti Baptismi veritatis typo; neque ultra quidquam in illa virtutis supernaturalis expiandi criminis unquam agnoverunt. Sed promenda modo selecta quaedam ex illis testimonia.

S. Augustinus Martyr in Dial. cum Tryphone docet, ante receptam Circumcisionem Abrahamum fidei suae in Deum merito largum sibi divinarum benedictionum praemium impetrasse; nec Circumcisionem ideo admisisse, ut ex illa justus efficeretur, sed veluti in signum obtenta jam a Deo justitiae. Addit, foeminas a justitia excludendas fuisse, siquidem Circumcisio ad justitiam conferendam valeret, cum nulla sit foeminarum Circumcisio. Constat autem, ait, Creatoris beneficio in medio constitutam esse justitiam, ut a singulis, qua vivis,

ris, quā foeminis, perciperetur. Est itaque Circumcisio merum quoddam signaculum, non causa justificationis; neque promerendo nobis Deo nisi pietatem & iustitiam conferre censendum est.

S. Irenaeus l.4. c.3. paria docet, adductis in eam rem Scripturae testimoniis. Circumcisio universae Abrahami familiae data est, qua non tanquam ad iustitiam adiumento uterentur, sed tanquam insigni, ut à cæteris Gentibus Israelitæ distinguerentur. Probat id Scriptura Gen.17. 10. 11. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, ut sit in signum fœderis inter me, & vos. Eadem docet Ezechiel 20. 12. de Sabbatho: Sabbatho mea dedi eis, ut essent signum inter me & eos. Signa igitur erant Circumcisio, & Sabbathum, non vana tamen, & inutilia, sed latentis Dei consilio in rem aliquam disposita. Carnis circumcisio cordis circumcisioem aliam designat, Apostolo teste Coloss.2. 11. Circumcisi estis circumcisioe non manufactâ. Et Deut.10. 16. Circumcidite praputium cordis vestri. Quod autem planè demonstrat, circumcisioem non justificando homini valuisse, sed Judæis distinguendis, illud est, nimirum ante receptam Circumcisionem Abrahamum merito fidei suæ iustitiam obtinuisse (r). Hæc S. Irenaeus, nihil affirmans, quin simul adductis à Scriptura testimoniis probet?

r Genes. 17. 6. Rom. 4. 3. Galat. 3. 6. 1. Mac. 2. 52. Ipat. 41. 8. Iudith 8. 22. Jacob. 2. 23.

Tertullianus in Opere adversus Judæos hoc sibi argumentum solvendum proponit. Nonne Abraham circumcisioe initiatus est. Respondet: Accepit quidem circumcisioem, sed quæ esset in signum illius temporis, non in salutis praputium. Iterum verò opponentibus Judæis exemplum Angeli, qui incircumcisum filium Moysis neci traditurus venerat (s), à quo statim Sephora mater, circumcisioe lapideo gladio factâ, imminens vitæ discrimen avertit; iterum reperit Tertullianus, vix fieri potuisse, ut Moyses tandiu circumcisioem illam in filio neglexisset, si quidem tantæ necessitatis Sacramentum reputasset. 2. Sephoræ Circumcisione initiare filium suum properantis exemplum, cur in legem universo populo Israel statueretur, nihil esse. 3. Deum, quo tenebatur consilio instituendâ Circumcisionem. Hebræis, non ut instrumentum parandæ sed tanquam signum jam paratæ iustitiæ, id pariter voluisse, ut in filio Moysis ejus rei monstraretur exemplum, ne arduum sibi quisquam reputaret, quod nec in filio Summi Ducis, & Principis totius gentis omisum spectabat. Quanti ponderis habenda sint hæc Tertulliani argumenta in examen adducere non vacat. Posset optima hæc sententia melioribus fulciri; sed eâ teneri opinione Tertullianum, nihil obtinendæ salutis Circumcisionem valere satis ex his demonstratum arbitror.

r Chryso. in Genes. hom. 39.

S. Chrysostramus exponens illud: Circumcidetur ex vobis omne masculinum [r], his potissimum rationibus nihil ad salutem conferre Circumcisionem demonstrat. Duo sunt, quæ statuendâ parvulorum Circumcisioni post octo ab editis in lucem diebus apud Deum valuerunt; 1. ut tolerabilior esset ejus ætatis infantibus vulnerum do-

lor (arbitratur facilè minori sensu doloris ejus ætatis pueros affici); 2. quò demonstraretur, Circumcisionem ad salutem animæ obtinendam nihil conferre, sed ideò datam, ut eo veluti stemmate Judæi à cæteris distinguerentur juxta illud Pauli ad Romanos: Abraham signum accepit Circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in praputio. Exiit, ait Paulus, à Judæi insensati, hanc mentium vestrarum persuasionem, Circumcisione nempe iustitiam acquiri. Abraham Fidei suæ merito ante receptam circumcisioem iustitiam adeptus est. Hæc Chrysostramus. Gemina fermè habet in Epistolâ ad Romanos; eumdemque præceptorem sequuntur Theodoretus, Theophylactus, & Occumenius.

Probat S. Epiphanius hæref. 30. carnis circumcisioem neque omnibus esse numeris absolutum Sacramentum, nec altius surgere, quàm ut signum & typum exhibeat, ad altiorem circumcisioem sensum Judæos invitans. Si enim, ait, ritus ille ad iustitiam & morum sanctitatem contulisset, sanctissima ille foemina V. T. Sara, Rebecca, Lia, Rachel, à cælesti hereditate & sanctitatis gratiâ, quemadmodum erant à Circumcisione, excluderentur. Cùm itaque suas obtinuerint in Regno Cælorum sedes, illud pariter constât, ad obtinendam salutem perinde ac nihil valere Circumcisionem.

Hilarius Diaconus in Epistolâ ad Romanos sub S. Ambrosii nomine vulgaris, luculenter asserit: Non ergo Circumcisio aliquid habet dignitatis, sed signum est tantum. Abraham prælitè sibi Deo, filium pollicenti, fidei merito Circumcisionem obtinuit, tanquam signum vel argumentum iustitiæ, quam sibi fide jam promeruerat. Eodem signo donati sunt Israelitæ, quo scilicet revocarent in memoriam genus se referre ex Abrahamo, viro fidei spectatæ, cujus proinde virtutem & observantiam sibi imitatione referendam proponerent, credentes in Messiam Abrahamo promissum, & Isaac typicis natalitiis expressum.

u Damascen. de fide orthodoxa, l.4. c. 25.

S. Joannes Damascenus (u), quem virum reputant locupletissimum sententiarum totius Græcæ Ecclesiæ testem, atque doctrinæ præcedentium Patrum custodem. fidissimum, S. Joannes Damascenus, inquam, cap. 25. docet, Abrahamum post receptas primò Dei benedictiones & promissiones, Circumcisionis insignem obtinuisse, quò genus illius & familia à cæteris per orbem nationibus distingueretur; cuius rei, Circumcisionem nempe non nisi ad distinguendos Judæos ab Idololatris datam fuisse, documentum esse dicit, quòd Hebræorum filii solidis 40. itineris per desertum annis nullâ Circumcisione initiati sunt. Cùm enim soli per desertum graderentur Hebræi, cur signo aliquo à cæteris gentibus distinguerentur, nihil erat. Transgressi demum Jordanem, & regionem variis occupatam gentibus penetraturi, circumcidi ad unum iussi sunt omnes; quæ Circumcisio secunda appellata est (x). Addit, Circumcisionem in eo potissimum bap-

x Vido. Josue 5. 1. 2. 4. & c.

Baptismum referret quòd superflua carnis amputaret, atque Judæum distingueret à pagano; quemadmodum Baptismus vitæ cordis rescindit, atque ab Infidelibus distinguit Fideles.

y Hieron. l.2. in Epist. ad Galat.

S. Hieronymus (y), inter Patres Latinos isdem ferè rationibus datam Judæis circumcisioem, ut eâ veluti tessera à cæteris distinguerentur, demonstrat. Gregem Israeliticum quodam circumcisiois cauterio denotavit, ut viventes inter Ægyptios, inter Assyrios, Babylonios, atque Chaldaeos hoc signaculo distinguerentur. Addit, toto itineris per desertum 40. annorum spatio dilatatam fuisse eam caremoniam, quòd scilicet nullo cæterarum gentium commercio Hebræi implicarentur; sed statim ut in Palestina terram Judæam se examen effudit, circumcisio necessaria futuro ex commixtione gentium providit errori. Tandem Pererius in Rom. 4. Disp. 5. & Eftius in Rom. 14. 11. conveniunt, vix unum aliquem reperiri ante S. Augustinum, qui remittendi originalis criminis virtutem circumcisioe tribuerit. S. Gregorius Nazianzenus Orat. in S. Baptistam docet quidem, vitæ discrimine laborantes pueros Baptismo initiari octavâ natiuitatis die posse, quemadmodum octavâ pariter die nati liberi Hebræorum circumcidabantur; quibus verbis parem in circumcisioe ac in Baptismo virtutem agnoscere visus est. Sed hæc nimis longè deducitur consequutio, & obscurior est S. Doctoris textus, quam ut apertissimis aliorum opponatur.

Quamquam si unâ Patrum Græcorum auctoritate sententia illa fulciretur, momenti aliquid in contrarium faceret S. Augustini sententia, in quam vulgò apud Ecclesiâ Latinam concessum est; sed auctoritati accedit ratio, cui vix aliquid repereretur. Demonstrant Patres illi, nunquam fieri potuisse, ut Circumcisio delendi originalis criminis in Sacramentum destinaretur, nec enim aliqui satis cum foeminis provium fuisset: Sapientia nimirum est Dei, ut communi utriusque sexus malo communi remedio succurrat. In quibus Scripturæ Textibus mandatum de circumcisioe traditur, nullus unquam de re tanti momenti est sermo; neque Judæis unquam succurrit, ut tantum de circumcisioe sibi datâ præfumerent. Quis, rogo, in animum inducat, fieri potuisse, ut à Moysè toto 40. annorum spatio negligeretur inter Hebræos circumcisio? Quot enim tam longo temporis intervallo è visis excessisse credendi sunt, sub ipsis Legislatoris oculis, quos æternum cruciandos incuriâ suâ tradidisset, quippe quibus originalis criminis noxam omniâ circumcisioe demere recussasset?

Cæteri Judæorum nunquam tanta de Circumcisione suâ prædicarunt, non Josephus, non Philo, quamquam aliqui horum alter virtutem Circumcisionis pluribus extulerit. Puerorum, qui fato cefse-

runt, animas constituunt Rabbini in loco quodam deliciarum (z), nullo factò discrimine inter infantes Circumcisione initiatos cæterosque, qui in ipso matris utero nondum in lucem editi decesserunt. Et unde melius, quàm ex Judæis Circumcisionis ab ipsis admittæ effectus disceremus? An fortè admittere illos incogitum aliquod Sacramentum in animum induxerimus, reputantes nihil tale unquam apud eorum Patres fuisse, quamquam alio qui aded magni res esset momenti ut nihil supra?

z Vide Manasse Ben-Israel l.2. de resurrectione mortuorum c. 11. ex l. Zohar; & Talmud. tract. Sanhedrin c. 11. & Gemar. Ketuboth c. 13.

In ipso instituendâ Circumcisionis articulo Dominus destinare se dixit insignem vel sigillum fœderis initi cum Abrahâmo (â); quod spectans Apostolus Rom. 4. 11. dissestè asserit, Circumcisionem sigillum esse iustitiæ, quam sibi Abraham fidei merito ante ipsam Circumcisionem comparaverat. Docet pariter Rom. 2. 25. circumcisioem juvare quidem religiosos Legis observatores, refractariis nihil profuturam. Profecò si remittendi criminis originais singularem agnoscamus in Circumcisione virtutem, etiam sine Lege proderit sanè multum. Ad hæc nihil Circumcisio Baptismo concederet, si una esset utriusque virtus, criminis nempe remittendi & gratiæ conferendæ. Hoc autem inter sacramenta utriusque Legis discrimen constituunt Concilia, Florentinum in Decret. Eugen. ad Armen. & Tridentinum sess. 7. can. 2. 6. 8. Hæc non causabant gratiam, sed solum per passionem Christi dandam figurabant; nostra verò Sacramenta & continent gratiam, & dignè suscipientibus eam conferunt. Siquid verò gratiæ à veteribus Sacramentis dabatur, id non Sacramentorum efficacitati, sed eorum, à quibus reciperentur, dispositioni & merito accepto erat referendum; quare ut phrasi Scholarum utamur, gratiam causabant, non ex opere operato (b), quemadmodum novæ Legis Sacramenta, sed ex opere, ut ajunt, operantis.

a Genes. 17. 11.

b Vide Concil. Trident. sess. 7. Canon 8.

Quamvis autem vulgò Scholastici & Commentatores in Augustini & Gregorii Magni sententiam concedentes autumaverint, originale crimen piaculo Circumcisionis deleri; alia tamen fedit pluribus aliis Theologorum opinio, ratis cum Græcis & Latinis vetustissimis Patribus nihil in Circumcisione agnoscendum, quàm merum aliquod signum, nullam habens remittendi criminis efficacitatem. Id sibi disertissimè asserendum suscepit Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Sacrament. in gener. cap. 16. 17. (c); Sasbout in cap. 4. Epist. Rom. Stapletonius (d), Sylvius (e), S. Thomas (f), alique plures ejus Interpretes, docentes originale crimen Circumcisione non nisi ex obliquo & ex consequenti remitti; quòd enim deleretur, in causa fuisse fidem atque meritum illius, qui se Circumcisione initiandum traderet; quorum sanè sententia equior nobis probatur.

c Vide & Vasquez. in 1. 2. disp. 130. cap. 2.

d Stapleton. Antidot. Apostolic. contra Hæreticos in Epist. ad Rom. 4.

e Sylvius in D. Thom. 3. partem qu. 70. art. 4.

f D. Thomas 3. part. & in Rom. 4. & in 2. part. qu. 62. art. 6.